Universitätsbibliothek Paderborn

# De Ecclesiasticorvm Vita, Moribvs, Officiis Libri Tres

Schevichavius, Gisbertus

Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.

Cap. LXXXV. Sacer Cantvs Pravos Corrigit mores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42349

Visual Library

*Labiorum vitali Deo in laudis ſacrificium immolandi.*

mat. *Domine Dominus noſter quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra.* Quam admirabilis potentia tua &c. Alludit autem id loci Apoſtolus ad Hoſeæ ad vocalem Dei laudem excitantis ſententiam *cap.14. verſ.3. Tollite vobiſcum verba, & conuertimini ad Dominum, & dicite eidem, aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum. Vbi LXX. reddemus fructum labiorum noſtrorum. S.Hieronymus in eius loci Comm. Tollite*, inquit, *vobiſcum verba, id eſt, preces & delictorum confeßionem, & comuertimini ad Dominum, tàm verbis quàm operibus, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem: nihil languoris in nobis & ruinæ priſtinæ derelinquas, ne rurſum mali ſeminis pullulent rediuiua plantaria, & accipe, inquit bonum. Niſi enim tulerit mala noſtra, quod tibi offeramas, habere non poſſumus. Vituli autem labiorum laudes in Deo ſunt & gratiarum actio, quos ſe reddituros dicunt, id eſt, Dei laudes perpeti voce canturos. Ergo Domine repleatur os noſtrum laude, vt cantemus gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam, Pſalm.70.v.8.* & vt omni ex parte perfectiſſimum tibi præſtemus obſequium, & animo ardentiſſimis votis, & corpore clariſſima voce præconia tua celebrare nunquam ceſſemus, vt tandem & cum electis tuis, in cœleſti patria te Deum & omne bonum noſtrum ac finem deſideriorum noſtrorum ſine fine videamus, ſine faſtidio amemus, ſine fatigatione laudemus. *Beati qui habitant in domo tua Domine in ſacula ſæculorum laudabunt te Pſalm.* 83. nec à laude deficiunt, quia ab amore non deficient.

## CAP. LXXXV.

## *SACER CANTVS PRAVOS CORrigit mores:*

1. §. TErtia vtilitas cantus, quod flagitioſos homines miris modis ad vitæ emendationem inuitet & alliciat.

alliciat. Et quia plurimos Eccleſiaſticorum canticum fructus mutuabor ex *S. Iſidoro libr. 3. ſententiarum ſiue de ſummo bono c. 7. ex S. Baſilio præfatione in Pſalm. 1. ex S. Iuſtino ſiue auctore QQ. Orthodox. reſponſione ad quæſt.* 107. eorum loca ſemel citaſſe ſufficiet, ne cum faſtidio repetantur. Itaq; pii cantus, vt cœperamus dicere, vtilitas eſt, quod mirificè peccatores ad pœnitentiam commoueat. *Peccatores*, ait, B. *Iſid. ad lamenta inuitat. Nam quamuis dura ſint carnalium corda, ſtatim vt Pſalmi dulcedo inſonuerit, ad affectum pietatis eorum animos inflexit. Dum Chriſtianum non vocis modulatio, ſed tantum verba diuina, quæ ibi dicuntur, debeant permouere, neſcio quo tamen pacto modulatione canentis maior naſcitur compunctio cordis. Multi n. reperiuntur qui cantus ſuauitate commoti ſua crimina plangunt, atq; ex ea parte magis flectuntur ad lachrymas, ex qua pſallentis inſonuerit dulcedo ſuauiſſima.*

*Cantus ad vitæ emendationẽ allectat.*

§. Locuples hujus rei nobis teſtis eſt *S. Auguſtin. lib. 10. Conf. cap. 33. Cum reminiſcor*, ait, *lachrymas meas, quas fudi ad cantus Eccleſiæ tuæ, in primordiis recuperatæ fidei meæ, & nunc ipſo commoueor, non cantu ſed rebus quæ cantantur, cum liquida voce & conuenientiſſima modulatione cantantur, magnam huius inſtituti vtilitatem agnoſco.*

*Dulcedine cantus tanquam ſalutare pharmacum melle pius in animum ſenſus inflat.*

§. *S. Baſilius. Vt vnus aliquis*, ait, *ferui in morem peracri ira incanduerit, ſimul atq; Pſalmis cœperit illius auribus incini, mox ex animo diſcuſſa feritate abit ſerenior. Quapropter ſaluberrimum eſt, vt vir Eccleſiaſticus & ipſe ad cantionis ſenſum attendat, quo pios in ſe motus concitet, tum vt ita diſtinctè ac ſyllabatim canat, vt auditor ſententiam probè accipiat, & fructum pietatis conſequatur.*

*S. Auguſtin. cantum approbat.*

CAP.